

**Summa utriusque iuris doctoris Raymundi w edycji Commune Incliti Poloniae regni privilegium constitutionum et indultuum publicitus decretorum approbatorumque.**

Starodruk, Biblioteka Jagiellońska, St. Dr. Cim. 8002

Odczyt: Kamil Sorka

Księga 2, rozdział 47, fol. XXIV

**Quibus testari et legari potest. Capitulum. XLVII.**

Testatori possumus omnib<sup>us</sup> hominib<sup>us</sup> liberis, servis, puberibus et impuberibus, divitibus, pauperibus, furiosis, mutis, surdis, secularibus et religiosis. Et non solum hominibus, sed etiam locis sanctis monasteriis et ecclesiis, exceptis tamen hiis personis, scilicet: hereticis, apostatis, illicitis collegiis non privilegiatis nec confirmatis, spuriis, servis accusatis de adulterio cum eorum dominabus et damnatis. Omnes autem dicuntur illi damnati, heretici, proscripti, fidefragi, tradidores, fures, latrones, falsarii, siccarii. Et nota quod lex precipit quibusdam personis testari tanquam ipsis ex natura debeatur, ut sunt omnes propinquii, ascendentes et descendentes. Collateralibus autem et extraneis secundum voluntatem legatur. Qui autem dicuntur ascendentes et descendentes collaterales et extranei videbimus loco suo.

[hasła: zdolność testamentowa bierna, dziedzic testamentowy, dziedzic konieczny, legatariusz]